

XIII. Satis verò rectè agnoscit Accorombonus, hypotheticos Syllogismos non esse *σπώτως* tales. Id quod de iis, quos Aristoteles ostensivis opponit, non solum verum est, ceu indicavimus §. V. sed & de illis, qui conjuncti sunt & compositi, prout vulgò appellantur, id ipsum est accipiendum. Rectè etiam docet, Syllogismum ita ab Aristotele consideratum fuisse, ut de ejus ratione Dialecticus quoque suò modo participet: quamvis enim is ex concessis aliquid concludat, postquam tamen concessa sunt, ab eo *ποννυται*. Porro & hoc rectè ab eo docetur, Syllogismos conjunctos sive compositos (quos & hypotheticos vocant,) non tam Analytico, quàm Dialectico inservire; rectè etiam asseritur, Aristotelem de hujusmodi Syllogismis non egisse, nisi quòd in Topicis aliquale eorum indicium fecerit, aut potius occasionem *ἡς* dederit; attamen cum Aristoteles omninò de Syllogismis *ἐξ ὑποθέσεως* egerit, ejusque species in Analyticis constituerit, imò & eos pro re nata adhibuerit, liquidem erit, Syllogismum *ἐξ ὑποθέσεως* juxta Aristotelem non esse eundem cum conjuncto sive composito, quales sunt Syllogismi Conditionales, Disjunctivi, Copulativi, & Causales, ac per consequens nec Syllogismum *δεικτικόν* cum simplici ac categorico esse eundem, ceu jam tùm fuit indicatum.

XIV. Quamvis verò hæc ita sint, mirum tamen est, doctissimum Pacium ea non pervidisse: siquidem & ille huc inclinatur, Syllogismos *ἐξ ὑποθέσεως* esse demum illos, qui aliàs conjuncti sive compositi, h. e. conditionales, aut disjunctivi appellantur. Apparet hoc ex ejus Comment. in I. Prior. XXIX. ubi inter alia causatur, *Philosophum* quidem *fateri*, accuratius explicandos & in sua genera dividendos esse Syllogismos hypotheticos, eundem tamen id postea vel non præstitisse, vel injuriâ temporis interiisse, quæ hac de re conscripserit, nec nisi in Topicis nos habere locos quosdam, quorum cognitio faciat ad hos Syllogismos. Quandoquidem verò *Philosophus* horum Syllogismorum in præsentia distinctam & sufficientem mentionem non